

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Resurrectio p cum uariis

Sunt nonnulli considerantes quod spiritus a carne soluitur, quod caro in putredinem uertitur, quod putredo in puluerem redigitur, quod puluis in elementis soluitur ut nequaquam ab humanis oculis uideatur, resurrectionem fieri posse desperant. Et dum arida ossa despiciunt, hec uestiri carnibus rursum quod ad uitam uiridescere posse diffidunt. Qui si resurrectionis fidem ex obediencia non tenent, certe hanc tenere ex ratione debuerant. Quid enim cotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Nam per momenta temporum cernimus arbusta uiriditatem foliorum amittere, a fructuum prolatione post largitionem cessare; et ecce subito quasi ex arescenti ligno uelut quadam resurrectione ueniente uidemus folia erumpere, fructus grandescere, et totam arborem rediuiuo decore uestiri.

Gregorius libro XIII. moralium.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

elementis] elementa L<sup>2</sup>; despiciunt] respiciunt P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; quod] quo P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; certe] certa L<sup>2</sup>; prolatione] perlatione C; resurrectione] ratione (*cor. supra lin.*) C; rediuuio] rediui (*cor. in marg.*) M; XIII.] III. C, III. (*cor. intra*) M; libro XIII. moralium] in moribus V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>